

DISSERTATIO

De

DANIELE PRO-  
PHETA,

CUJUS

PARTEM PRIMAM PHI-  
LOLOGICAM,Consensu Amplissimæ Facult. Philosophi-  
cæ in Regia ad Auram Academia,

PRÆSIDE

Dn. ISAACO BJÖRNKUNO/  
LL. Orient. Profess. Ordinar.*Publico examini submitter*DANIEL JUSLENIUS, D. F. D. N.  
Ad Diem XI. Nov. Anni MDCCXXX.  
Loco, horisque solitis,

ABOÆ, Excus. a Joh. Kiämpe R. Ac. Typ.

MAXIME. REVERENDO. ATQ

MAG. DANIEL

S. S. THEOLOGICI  
CONSISTORII, UTRIUSQUE  
U

ECCLESIAE. CATHEDRALI

PASTORI. AC

PARENTI

PAGELLAS:

QVA. PAR. EST.

SACRAS.

A. T.

AMPLISSIMO. DOMINO.

JUSLENIO.

PROFESSORI, ORDINARIO.

ADSESSORI. GRAVISSIMO,

ET.

FENNICÆ. QUÆ. ABOÆ. EST.

ANTISTITI, VIGILANTISSIMO.

OPTIMO.

HASCE.

FILII, REVERENTIA.

ESSE. VULT.

R.

*Morum Elegantia & Eruditione*  
*Præstantissimo*

Dno. DANIELI JUSLENIO.

**Q**uamvis reipublicæ prodest, eruditionis tam exercitia quam documenta publicis ostentare rostris, baud difficile invenietur, quum ex pusillis, magna evadant Reipublicæ Litterariæ & civilis lumina, ad colustranda lycea florentissima, ordinandasque res patriæ. Nam solerti ab incunabulis artium liberalium opera, ingenique cultura subacti, digni censentur, qui munera graviora administrant, iisque persungantur.

Hinc & apud moratiores gentes, illuc pretii assurrexit erudita studiorum scientia, ut nihil in comparationem  
ejus

ejus usquam a prima ingenii huma-  
ni cultura venerit. Scientias qui-  
dem ceteras, unicuique suo in statu  
civilis & sociali, idoneas quemadmo-  
dum, sic nec rejiciendas, cuncti con-  
fitentur. An vero eruditione libe-  
rali non instructus, muneri imperii  
vel gubernandi imperandique, ne di-  
cam parendi quoque officiis recte præ-  
esse queat: non mirum erit, si aut  
me nescire, aut prorsus negare di-  
cam. Hinc enim ingenii in se sterilis  
& inculti vera cultura, verumque  
pretium exsurgit: hinc melius illud  
meliusque efflorescit, & tandem com-  
modo reipublicæ idoneum aptumque  
redditur.

Sic & lucubrations Tuæ solertes,  
sic ingenii Tui acumen, lingue prom-  
tuitudo, morum elegantia, & quic-  
quid juvenem Tuæ spei & meriti de-

cet.


set decoratque, omnibus cara, grata,  
laudandaque sunt: cujus rei haud  
modicum documentum est Dissertatio  
illa Tua de Daniele inscripta, insi-  
gni cum solertia elaborata ac enuclea-  
ta, publicæque jam committenda luci.  
Perge itaque ocius viam peragere Mu-  
sarum, usque dum calcato culmine  
Apollinis, laurea que Te coronatum,  
membrum republica dignum, magis  
magisque fortunatum cuncti uno ani-  
mo saluent.

Sic adplaudit Offi-  
ciosissimus

CARL GUST. PALMQVIST.

Dabam Aboæ die 29. Octobr.

1730.



I. N. J.

*PROOEMIUM.*



Non dubito fore plerosque, qui quum ipsam quam nobis in titulo proposuimus tractationem intueantur, permulta sibi videantur desiderare in iis, quæ circa Prophetam nostrum, quod ad Philologiam possent observari; præcipue quum quilibet versiculus, ne dicam quævis in libro Danielis littera, insignem requirat, ut rectus atque clarus evadat

A

sen-

sensus, sui interpretationem. Consultum ergo duximus, paucis Benevolo Lectori rationem instituti nostri indicare; prolixum nempe fore, omnia, quæcunque philologice tradi circa hanc materiam potuissent, brevi hocce volumine complecti: proptereaque nos non nisi potissima attigisse, pro tenuibus puerilis ingenii viribus. Quum vero liber Danielis maximam partem res Theologicas & prophetias, nec non res Historicæ & Politicæ contineat, ideo hæc pauca, quæ in primis ad Philologiam videntur pertinere, ad hanc partem referre nos constituisse; alia vero, quæ Theologiæ, Historiæ atque Politicæ debentur, data occasione suo tempore ventilare B. c. D. non esse omisuros. His brevissimis Candidum Lectorem rogatum volumus, velit hypotheses nostras, quæ



3  
quæ aliquando conjecturis nituntur magis, quam præviis aliorum exquisitis lucubrationibus, quibus destituimur, certe non abundamus, candide excipere, inque bonam interpretari partem.

## CAPUT PRIUS.

### ONOMATOLOGICUM.

#### *Sectio I. Etymologica.*

- §. I. *Significationem utriusque vocis perpendit.*  
§. II. *Non esse paragogicum neque epentheticum ostendit.*  
§. III. *Pronominale esse affirmat.*  
§. IV. *Rationem dagesati & (..) retracti, dat.*  
§. V. *Decisio.*  
§. VI. *Significatio nominis & ratio impositionis.*

§. I.

**F** Remissa itaque brevissima hac præfatiuncula, ad ipsam

ipsam vocis Etymologiam nos accingimus, quam ex radice verbali  $\text{דן}$  & nomine Divino  $\text{יהוה}$  esse compositam dicimus. Ad utriusque vocis significationem quod attinet, de illa jam paucis est dicendum. Lexicographi  $\text{דן}$  ipsam radicem verbalem esse statuunt, adeoque significare: *judicare, disceptare, jus dicere* &c. Videtur synonymum fere verbi  $\text{שפט}$  esse, quum & illud *judicavit* &c. significet. Si vero loca quaedam textus sacri penitus intueamur, invenimus utique aliquam inter has voces intercedere differentiam: e. g. Ps. VII. 9. ubi  $\text{דן}$  præcedens tanquam generica vox est: legitur enim Deum gentium esse judicem: adeoque illa voce heic loci non modus quidam judicii indicatur, utrum sit in pœnam malorum, an in compensationem bonorum.  $\text{שפט}$  vero sequens

5

sequens, quod David, ut erga  
 se fiat, orat, tanquam speciem  
 notat præcedentis  $\text{פן}$ : quum il-  
 lud non tam generaliter de o-  
 mnibus, quam de ipso ceteris-  
 que fidelibus dicatur, adeoque  
 clarum evadat, ibi  $\text{לדו}$  in bo-  
 nam solum accipi partem. Sensus  
 enim ibi commode erui potest  
 hic, quod nimirum speciem ju-  
 dicii gratiosi denotet, quum Da-  
 vid Deum ibi oret, ut causam  
 quasi ipsius agat, & judicium  
 dein de ejus innocentia ferat (a).  
 Quamvis autem locus hic Da-  
 vidicus talem nobis videatur in-  
 dicare sensum, invenitur tamen  
 frequentior  $\text{לדו}$  in pœnam  
 significatio. Immo & notionem  
 generalem  $\text{לדו}$  interdum innu-  
 ere observamus (b). Quin &  
 $\text{פן}$  speciale sæpe denotat judici-  
 um, & in commodum (c), &  
 in

(a) Confer. Gussatii comment. (b) Ps.  
 LXXXII. 1. (c) Gen. XXX. 6.

in pœnam rarius (d). Alteram partem compositionis in hac voce nomen Divinum  $\text{D}^{\text{N}}$  esse diximus, quod simpliciter significare *Deum* asserimus. Nescio quot & quænam non sint Lexicographorum & interpretum nonnullorum conjecturæ, quorum hi ab  $\text{D}^{\text{N}}$ , illi aliunde hanc vocem derivare satagunt. Sufficiat nobis, nomen Dei, adeoque ipsam esse radicem, dixisse; illudque aliam radicem agnoscere ullam, vel alii cuiquam verbo suam debere originem, negasse. Sana enim ratio, inconueniens plane esse demonstrat, illum qui non solum ipse careat origine, sed & omnibus essentiam, vitam & originem largiatur, nomen suum aliunde derivare. Præterquam quod nihil sit, quod urgeat de derivatione vocabuli esse sollicitos, nisi quis

con-

(d) *Gen. XV. 14.*

contractum putet ab יהוה. Est igitur יהוה, nostro iudicio, simplex designatio summi entis, quod Deum vocamus: seu simpliciter respondet conceptui naturæ cujusdam, perfectionibus suis infinitis supra omnia eminentis: quemadmodum in aliis linguis *Jeus, Deus, Gud / Gott* &c. in quorum originatione demonstranda frustra laboratur. Conferas interim similes radices bilitteras, ut יהוה, יהוה, יהוה, יהוה &c. & inuenies, quam sit absurdum in illarum originibus quaerendis occupari.

§. II.

**S**ic brevibus significatione utriusque vocis seorsim examinata, restat ut modum compositionis paucis demonstremus. Observamus יהוה (quod utrum participium benoni esse statuamus, an nomen verbale, per inde

inde est ) esse junctum nomini  
 Divino לֵאלֹהִים, mediante littera י,  
 quam non paragodicam vel ep-  
 entheticam, sed pronominali  
 esse conjicimus, adeoque nomen  
 ipsum esse in statu affixionis.  
 Diximus י non esse paragodi-  
 cum vel epentheticum: ad cu-  
 jus assertionis probationem non  
 aliunde nobis suppetere possunt  
 rationes, nisi ab exemplis alio-  
 rum nominum priorum. Ob-  
 servamus enim illa nomina, quæ  
 י paragodicum vel epentheticum  
 habere videntur, illud habere  
 sine Dagesch, e. g., עֲבָדֵי י, י  
 מִלְכֵי י, י אֱלֹהִים, י אֱמִינֵל,  
 &c. Commode namque hæc no-  
 mina per pronomem nequeunt  
 explicari, quum non *servus me-*  
*us Deus, populus meus Deus, eterni-*  
*tas mea Deus, tentorium meum pater,*  
*nec rex meus justitia* conveniat di-  
 cere; sed *servus Dei, populus Dei,*  
*eternitas Dei, tentorium patris,*  
 &

& *rex iustitia* existimaverim rectius esse: quæ si ita explicentur, fiet & purior significatio & sensus evidentior. Extra omnem controversiam res posita erit, si observaverimus, ipsum spiritum Dei per S. Paulum (e) explicationem vocis מל צורק per statum constructum, adeoque per ך paragogicum vel epentheticum fecisse. Fatendum tamen, dari nomina composita intercedente ך sine dageſch, quæ utroque modo apte explicueris, ut צורקל, עורקל, עורקל &c. quæ tamen ad analogiam reliquorum explicare satius est. Clarum igitur evadit, ך in voce רניאל non esse *paragogicum*, si partem compositi priorem separatim spectes, ceu illud alioquin nominibus status constructi, & aliquando participiis otiole solet suffigi; neque *epentheticum* rati-

one

(e) Ebr. VII. 2.

one totius nominis compositi, ubi ceu vinculum nudum connectendis duabus vocibus serviat.

## §. III.

**N**Ecesse igitur est, ut illud pronominale, seu affixum *singulare nominis singularis primæ personæ communis* esse statuamus, nec aliis rationibus, nisi exemplis itidem aliorum nominum hoc dagestatum habentium, suffulti. Utpote sunt, אֲבוֹתָי, אֲבוֹתֶיךָ, אֲבוֹתָיו, אֲבוֹתֵינוּ &c. innumera fere, quæ non commode per statum constructum, nec per paragodicum vel epentheticum, sed per pronominale seu statum affixum explicari possunt: e. g. אֲבוֹתִי, *pater meus Deus*, אֲבוֹתֵינוּ, *dominus meus Deus &c.* non *pater Dei*, nec *dominus Dei*. Quæ posterior plane incongruens, prior maxime conveniens

no-



nominib<sup>9</sup> adductis explicatio est. Haud dubie itaque statere possumus, in voce  $\text{אֵלֶּיךָ}$  non esse paragogicum vel epentheticum  $\text{א}$ , sed pronominale, ob allatas causas. Quod vero tribus alibi in locis (*f*) invenitur eadem vox sine Dagesch, etiam  $\text{א}$  eliso, illa non significationem pronominalem excludunt, quum ibi affixum illud modo ordinario atque secundum grammaticos usitato, (licet Chirek fulcro suo destituatur, quod nec ceteroquin insolens est) voci apponatur. Deinde sciendum quoque est, ut luculenter ubique observamus, in nominibus propriis Hebraicis nec eundem scriptio- nis modum, nec præcepta de constructione grammatica, ubique retineri; variare vero illa pro varietate dialectorum. Quod

vero

*(f) Ezech. XIV. 14. & 20. & cap. XXVIII. 3.*

vero ( \_ ) in לִיָּם non mutetur in ( : ), ratio est, quia includit litteram quiescentem, mediam radicalem ׀, prout analogia docet.

#### §. IV.

**R**ationes itidem de hoc dagesch *לִיָּם* impresso afferre haud dubias, ubiorem requirit sacrarum litterarum notitiam, quam quæ a me possit præstari. Novimus interim triplex penes grammaticos esse dagesch forte, *Characteristicum, Compensativum & Euphonicum*. Non commode ad vocem præsentem referri possunt illa duo priora, nisi fortassis tertium illud euphonicum: ratio vero sedis illius e grammaticis exacte ubique ostendi nequit. Sufficiat id vocari euphonicum, quod prædicatum illud dagesch quam sæpissime litteris libere, & præter aliam necessitatem, quam certam

tam soni modificationem, so-  
 lere imprimi, indicat. Neque  
 simile quidquam habet lingua  
 Chaldaica sacra, ut hæc dages-  
 fatio inde dici queat adscita,  
 quanquam hoc nomen in libris  
 solis circa captivitatem Babeli-  
 cam consignatis legatur. Ne-  
 que quidpiam mysterii ex forti-  
 ori דגשך sono, ad perso-  
 næ excellentiam, venari aude-  
 mus. Sed redit illud, quod in  
 superiori paragrapho attulimus,  
 Hebræos scilicet inscriptiones no-  
 minum propriorum, præcipue  
 quæ certissimum est variare dia-  
 lectis, utpote variat præsens vox  
 דגשך, parum vel nihil curare, ceu  
 luculenter in aliis quoque no-  
 minibus supra adductis & dages-  
 fatum habentibus observauimus.  
 Ad (..) retractum quod attinet,  
 ejus nullam afferre possumus  
 causam, nisi quod & ille pecu-  
 liaris quidam & euphonicus sit  
 nomi-

nominum quorundam propriorum scribendi mos, ut in aliis nonnullis quoque apparet, e.g.  $\text{רַעַל}$ ,  $\text{רַעַל}$ ,  $\text{רַעַל}$  & ( ) retractum in voce  $\text{רַעַל}$ . Nullum vero reperitur nomen dagessatum & (..) retractum simul habens præter  $\text{רַעַל}$ : similis tamen dagessatio  $\text{רַעַל}$  retracto ( ) obvenit in nomine appellativo  $\text{רַעַל}$  (g). Quum itaque ex  $\text{רַעַל}$  tribus in locis supra allatis dagelch exfulat, tunc tzere quoque ordinariam sub  $\text{ר}$  sibi sedem occupat.

## §, V.

**S**ic itaque conspicua, qua possibile fuit, brevitate etymologiam vocis  $\text{רַעַל}$  explicuimus, ostendendo rationibus allatis nomen hoc compositum esse ex radice  $\text{רַעַל}$  *judicare*, & nomine Divino  $\text{רַעַל}$ , statusque esse affixi, adeoque per consequens  $\text{ר}$  habere

(g) *Esdr. V. 1.*

re neque paragogicum, neque epentheticum, sed pronominalle. De dageſch vero & (..) retracto quum aliunde non ſuppetant rationes, conjectura illa, quam in præcedenti fecimus paragrapho, nos debere eſſe contentos: ſcilicet hanc vocem imitari analogiam hinc aliorum nominum priorum, quæ habent cum dageſch, atque illinc eorum quæ (..) habent retractum: adeoque in forma nominum priorum peculiarem plane apud Hebræos ſcribendi modum, libertatemque legibus grammaticis magis ſolutam, ad euphoniã pro varietate dialectorum conciliandã, probe indicare.

§, VI.

**S**ignificat itaque  $\text{יְהוָה אֱלֹהֵינוּ}$  *judex meus Deus*, non nude *judex eſt Deus*

Deus, ut vult Hillerus (b), neque, forma quidem Grammatica, *judicavit me Deus*, ut exponit Gejerus (i), quamvis in eundem resolvatur sensum, ceu Rahelis exemplo patet, quæ אלהים קראתי inquam, filium appellavit קראתי (k). Et sicuti mos erat in veteri Testamento Hebræis recens nato nomen imposituris, juxta notam facere causam impositionis, scilicet statum præsentium tunc temporum, vel aliam quamcunque occasionem quam vellent indicare: sic quoque conjicimus parentes Prophetæ nostri fecisse. Quæ ratio fuerit hujus nominis infantibus imponendi, clarius de filio Davidis ejusdem nominis, de quo infra sumus dicturi, innotescit, quum David toties, in Psalmis præsertim, Deum suum

(b) *Onomast. S. p. 346. (i) Prolegom. in Dan. p. 2. (k) Gen. XXX. 6.*

um provocet judicem, videtur sub illa judicii Dei imploratione hunc filium genuisse, & occasione quotidiani hujus symboli, filiolum suum nomine isto insignivisse. Eodem animo parentes Prophetæ ductos arbitramur, ut five erga sese benignissimas justissimi Dei vindicias reputare, five futura filioli fata quocummodo ominari, voluerint. Competere haud incommode potest idem nomen omnibus fidelibus, quibus ob injurias sibi illatas, non vindictæ cupidine, sed innocentia suæ contestandæ causa, Deum judicem pie implorare, hoc est, a tribunali strictissimæ justitiæ ad tribunal gratiæ per Christum provocare fas est. Hoc vero argumentum, ut alterius fori, Theologis declarandum relinqvimus.

*Sectio II. Homonymica.*

§. VII. Quot habuerint hoc nomen, indicat.

§. VIII. Judicium de Daniele Apocrypho fert.

§. VII.

**I**Ta in sectione superiori de sola nominis scriptura egimus: videbimus nunc brevissimis, quibus hoc nomen in scripturis tribuatur. Sacra nobis monumenta penitus intuentibus, alii quoque occurrent, qui hoc nomine insigniti inveniantur. Legimus enim de filiis Davidis, quod eorum numerum unus quoque nomine אַחִיעֶזֶר auxerit (1), cujus nomen eodem modo, quo prophetæ nostri in libro suo scribitur. Iste quidem filius Davidis alio in loco (m) cognomine דָּלְיָאָה vocatur: quod vero

(1) 1. Chron. III. 1. (m) 2. Sam. III. 3.



vero idem fuerit דניאל, ex eo patet, quod recitentur quidem in libro Samuelis filii Davidis, non vero fiat mentio Danielis, & tamen de Abigaile natus dicitur Daniel secundus Davidis filius, qui secundus natus dicitur in libro Samuelis כלם ex eadem Abigaile. Deinde etiam apud Esdram (n) atque Nehemiam (o) invenitur quidam, cui hoc injunctum erat nomen, scilicet ille ex posteris Ithamaris sacerdotis, qui redux e captivitate Babylonica Levita atque sacerdos fuit. Eandem autem personam utroque loco innui, sine lite forte obtinebimus. Ast vero videtur diversitas scriptio- nis apud Ezechielem (p) perso- nam quoque aliam ejusdem no- minis, non prophetam nostrum,

B 2

indi-

(n) *Esdra. VIII. 2.* (o) *Neh. X. 6.* (p)  
*Cap. XIV. 14. 20. & Cap. XXVIII. 3.*

indicare, præcipue quum hic in libro suo nusquam eo modo nomen suum notaverit, diversam vero formam constanter observaverit. Sed inspiciatur solummodo textus apud Ezechielem (q), & erit omnis lis soluta. Ibi enim mentionem facit Deus Noachi, Danielis & Jobi, tanquam illorum, qui & pietatis affectu, & dignitate apud Deum in deprecando pro populo, alios antecellerent, Daniel præsertim sapientiæ celebritate esset incomparabilis, qualem alium cognominem omnis historia ignorat. Quamquam id magnum, Danielem Ezechieli æqualem jam in ipso ætatis flore, etiam inter gentes, sanctitatis & sapientiæ gloria, tantum inclaruisse.

§. VIII.

**I**N libris præterea Apocryphis  
de

(q) loca citato.

de Daniele quodam legimus varia, scilicet qui dolum diaboli in Belo & serpente detexerit, & Susannam a pravis injustorum judicum calumniis vindicaverit. Scriptori tamen animus illic fuit, nullum alium, nisi prophetam nostrum adumbrare: legitur enim eadem ibi historia, quæ in libro Danielis, eum leonibus fuisse objectum, quamvis aliam ob causam. Fabulæ vero potius, quam veræ historiæ speciem præbent duo illa capita libris Apocryphis interfecta: historia præcipue Susannæ, drama potius quoddam poëticum, ab ingenioso quodam pudicitia commendandæ causâ confictum videtur, & quidem a Græculis quodam, ut ex allusione vocabulorum Græcorum, & quod in codice Hebræo nusquam compareat, arguitur. Præterea ætat

tati Danielis minus convenit. Res enim hæc gesta imperante Aftyage in ipsa historia innuitur, & quidem Daniele puello tene-riore, παιδαρις νεώτερος (r), quum tamen imperio Aftyagis ineunte Daniel in exilio Babylonico jam annos fere XV. exegerit, ut ex synchronismo regum Babyloniorum & Medorum apparet: & ad Cyrum, qui, fatente eadem narratione, Aftyagen in imperio excepit, aut si mavis ad Darium Medum jam senex pervenerit, postquam sub tribus Babylonix monarchis, Nebucadnezare, Evilmerodacho (qui patri successit, ut ex sacris monumentis (s) colligere necesse est) & Belschazaro vixisset, ut ex ipso Danielis libro patet. Quin immo ανισοψηφια est, Aftyagen

(r) Dan. XIII. 45. 64 (s) 2. Reg. XXV. 27. Jer. LII. 31.

gen Medum rebus sub alieno imperio in Babylonia gestis imponere, nisi sub nomine Astyagis Darium dicas Medum latere; at sic ratio Danielis *μαιδυπης* multo minus constabit. Ut plura *α σις α τ α* jam præteream (t). Falso igitur fundamento niti patet illos, qui has appendices apocryphas genuinæ Danielis prophetiæ annectunt, tanquam veras ejus partes, capita XIII. & XIV. instituentes. Adeoque manet, nullum, præter tres illos, prophetam, filium Davidis, atque sacerdotem de genere Ithamaris, Danielem in scripturis inveniri.

*sectio*

(t) *Conf. Gesnerus in Diss. I. de Dan. Q. II. qui prolixius hæc omnia perpendit.*

## Sectio III. Synonymica:

§. IX. de Cognomine Belteschazar differit.

## §. IX.

**N**olevit plurimum ille inter orientales mos, ut quos vel a vulgo vellent discernere, vel quorum memoriam ob præclaras præ vulgaribus res gestas apud posteros reddi præclaram cuperent, cognomen quoddam illis, ut honoris singularis notam, imponerent. Præterea alias etiam ob causas sæpe nominum sive commutationem, sive augmentum illis usu venire observatum est. Sic quoque prophetæ nostri nomen ob pronuntiationis penes Chaldæos difficultatem, in cognomen *Belteschazar* ab Assyriis commutatum fuit. Non potuere Assyrii nomen

men quoddam penes se usitatum  
 Danieli, significatione magis  
 conveniens illi honori, quem  
 gessit, imponere, quam hoc  
 חֲנֻכָּה, quod *thesaurorum Beli*  
*custodem* significare videtur. הוּ  
 enim maximus vocabatur Ba-  
 byloniorum *Deus* (u); חֲנֻכָּה  
 penes illos est *abcondere*, seu  
 quod idem est *custodire*, & חֲנֻכָּה  
*thesaurum* notat: adeo ut ex tri-  
 bus his invicem compositis, in-  
 terpretationem illam nominis,  
 quam paullo superius attulimus,  
 certam atque evidentem esse,  
 quanquam alii alia adferant, nul-  
 li dubitemus. Unde & Junius  
 reddit: condus promus, aut חֲנֻכָּה  
 seu sacerdos mysteriorum  
 Beli. Præter variorum opinio-  
 nes, peculiarem Celeb. Læsche-  
 ri, *judicem Beltidis* deæ exponen-  
 tis, sententiam videsis apud e-  
 undem

(u) *Jes. XLVI. 1. Jer. L. 2.*

undem (w). Ceterum *Belesin* illum de proceribus Babylonis, Diodoro Siculo (x) memoratum, astrologicæ artis peritum, cujus consiliis Arbaces regnum Sardanapali occupavit, eundem esse Belteschatzarem (y), saltem temporum distantia non patitur. Neque vero hic Belteschatzar cum illo, quem Nebucadnezaris nepotem Belschatzar propheta noster alio in loco (z) vocat, confundendus est, cujus differentiam a priori, diversitas quoque scripturæ indicat. Scribitur enim hujus nomen בלשצאר, distinguiturque ab illo per absentiam litteræ ו. Quomodo autem nomen Balthazaris licite etiam inter nos usurpari queat,

(w) *de causis L. Ebr. l. i. c. IV. §. 7.*

(x) *Lib. XI. (y) Huet. dem. Evang. prop. IV. de Din. Budd. Philof. Ebr. §. XV. (z) Dan. F.*



pulcre ostendit Gejerus (a). Volunt præterea Hebræorum magistri, *Hathachum* illum Ahasveri aulicum (b), hunc nostrum esse Danielelem: sed nullis plane rationibus ista suffulcitur conjectura. Quin imò contendunt iidem per *Scheshbatsarem* (c) ducem Judæorum, primo Cyri anno ex captivitate reducum, eundem hunc prophetam intelligi. Ceterum alia omnino illa fuit persona, & procul dubio Serubbabel, non autem Daniel, qui tertio adhuc Cyri anno ad fluvium Chiddekel vixit (d).

CA.

(a) *Comm. in Dan. I. 7.* (b) *Esth. IV. 5.*  
 (c) *Esd. I. 8. 11. Cap. v. 14.* (d) *Dan. X. 1. 4. Conf. C. B. Michaël prol. in Dan. §. 4.*

CAPUT POSTERIUS  
PRAGMATOLOGICUM.

*Sectio I.*

- §. I. *In genus prophetae inquirat.*  
 §. II. *Institutionem Israëliticam scrutatur.*  
 §. III. *Educationis Babelicae facit mentionem.*  
 §. IV. *Studium praesertim philosophiae examinat.*  
 §. V. *Rationem victus perpendit.*

§. I.

CETERUM ne diuturnas in nominibus prophetæ nostri inquirendis nequam moras, in ipsam vitæ illius scenam prodire animus est. Et sicuti in personæ cujusdam vita per theatrum quasi proponenda, genus atque origo cum primis debent attendi: ita quoque prophetam nostrum in origine atque genere primum intueamur, oportet. Quum vero sacra scriptura nihil

hil certi de nativitate & parentibus illius tangat, nec nos aliunde quandam hujus rei notitiam assequi possimus, paucissima illa, quam e libro Danielis de ejus genere colligere possumus, nos debere esse contentos necesse est. Scilicet, quod, quum rex Babyloniae Nebucadnezar, irruptione in terras Israeliticam facta, Hierosolimam oppugnaret, Joachimum Judaeorum regem Deus in potestatem Babyloniorum dedit: qua occasione Nebucadnezar, deportata vasorum parte e templo, permultos simul ex gente Israelitica captos in Babyloniam duxit: quorum in numero Danielem quoque fuisse constat, & Judaica quidem tribu oriundum, qui aetate adolescente miserandum hoc agmen augetet. Porro quoniam Rex desiderasse legitur adolescentes in ministerium

um aulæ allegendos, regio femine, aut de magnatibus fatos: oportet Danielelem alterutri illustri stemmati originem debere: utri autem, vix certo definiveris. Josephus (e) Danielelem ejusque socios regis Zedekiaë cognatos fuisse perhibet. Et sic procul dubio in illis licet piis, vaticinium Esaiaë (f), prænuntiantis Hirschiaë, *liberos ejus Babyloniaë regi servituros*, impletum foret. Quod tamen apodictice adstrui nequit, quum conditio altera diserte adnectatur, יְסוּן הַפְּרָתִים. Quæ autem sit ratio vocis hujus difficilioris, quæ non nisi hic, & bis apud Estheram (g) legitur, in diversa admodum abeunt interpretes. Alii a Parthis, alii a fluvio פרת dictam putant. Quidam a Græco *πάρσις* vel *πρόσις* de-

(e) lib. X. antiq. c. II. (f) 2. Reg. XX. 18. (g) C. I. 3. & Cap. VI. 2.

deducunt, quum jam tum quædam Græca nomina in Chaldæam essent inuenta, & contra. Nonnullis originatio placet Persica, aut Chaldæo Persica. Alii aliunde eam arcessunt. Id tamen inter omnes convenit, & collatione locorum scripturæ allegatorum patet, nomen esse summæ apud Chaldæos Persasque dignitatis, adeoque magnates principum & proceres imperiorum denotare: quod nomen sibi familiare Nebucadnezar etiam primatibus Judæorum applicatum voluit. Quis vero prophetæ fuerit parens, nusquam legitur, quanquam ejus nomen fuisse *Sabaan*, sed incerta traditione, dicat Epiphanius (*b*). Quumque sic scriptura natales illius propius definitos nos voluerit ignorare, ergo de illis ultra

(*b*) lib. 2. heres. 55.

tra possibile disquirere non obligamur.

§. II.

**C**onstituimus quidem hac paragrapho institutionem prophetæ Israëliticam indicare: existimabit vero quis tanto difficiliorem esse hujus educationis notitiam, quanto certius constet, scripturam sacram nihil fere de illa, nisi in captivitate demum Babylonica, tangere. Id saltem sacro præeunte codice modo dedimus probatum, Danielem sive regia stirpe, sive magnatibus fuisse oriundum: hinc ergo patrio quoque more, qui regii aut illustris generis prolem deceret, educatum concludimus. Quo vero modo penes antiquos Israëlitas liberi regii aut magnatum fuerint educati, vel quas disci-

disciplinas præter studium legis addidicerint, res est, in qua delineanda haud prolixi occupabimur, quum illa ab exemplis Biblicis non satis sufficienter pateat. Uberiorem vero hujus rei desiderantes indagationem, alios de illa consulant scriptores (i). Sufficiat nobis illud quod in libro Danielis (k) legitur, jussum nimirum fuisse supremum Babylonæ camerarium a rege, tales sibi e gente Israëlitica captiva eligere adolescentes, qui familia regia sive optimatum genere oriundi, sine fuce perfecti, forma venusti, dociles, intelligentes, atque sapientes essent, quive ministeriis aulae regiae Babelicæ obeundis, Chaldaicæque scripturæ atque linguæ addiscendæ apti forent. Et quamvis

C

דַּנְיֵאל

(i) Conf. imprimis J. A. Fabricii Bibliogr. antiquar. c. XXI. (k) Cap. I.

מִשְׁכִּילִים כִּגְל חֲכָמָה potius sol-  
 lertem quandam attentionem,  
 vividum mentis vigorem, in-  
 geniique habilitatem & alacri-  
 tatem, ad percipiendam sapien-  
 tiam, inferat\*; quum neque con-  
 veniens sit, eos jam omnem  
 hausisse eruditionem, qui tunc  
 porro traderentur erudiendi, &  
 quibus postea demum Deus di-  
 catur sapientiam largitus: attamen reliquæ phrasæ non de alio prædicari queunt, nisi qui jam aliquam scientiæ apparatus adquisivit. Quales quum colligeret Aspenas, eorum in numero, qui iis essent dotibus conspicui, Daniele quoque collocavit. Unde & eum jam tum eruditione haud vulgari fuisse instructum colligere licet.

§. III.

**E**Am itaque institutionis felicitatem Danieli, antequam

in

(\*) *Michaël ad Dan. l. 4.*



in Babyloniā esset' devectus, contigisse, haud inepte conjicimus: In Babylonia vero in aulam regiam receptum talibus constat instructum fuisse scientiis, quibus insignis regius minister & commodum reipublicae ibidem membrum evadere posset. Sunt qui illum eunuchum aulae Nebucadnezaris intervissse statuunt (l), colligantque ex eo, quod Graeci Aspenasum nomenent ἀσπενασῶν sive praefectum eunuchorum, & quod Esaias (m) ad regem Ezechiam dicat: *Filii tui erunt eunuchi in palatio regis Babyloniae.* Ad quam assertionem eleganter satis confutando eandem respondet Gesnerus (n) his verbis: *Laborat vero argumentum*

C 2

in-

(l) Ita quoque Sixtus Senensis, Huet. &c. Vid. Damasc. lib. IV. orth. fid. C. XXV. (m) 2. Reg. XX. 18. Es. XXXIX. 7. (n) Disp. προλαγομε in Dan. 2. IV.

*inscitia lingue Hebrææ. Nam Hebræa vox Saris & Sarisim, quam Græci per eunuchos reddiderunt, non semper castratos & cœlibes, sed aulicos ministros etiam uxoratos significat. Verbi gratia Potiphar uxorem habuit, & nihilominus appellatur Saris, Gen. XXXVII. v. 36. & inter Judæos prohibitum fuit castratos & mutilos publicis officiis adhiberi Deut. XXIII. Sarisim tamen frequenter appellantur regum in populo Dei ministri, 2. Reg. VIII. 6. Jer. XLI. 16. & XXXIV. 19. Thargum eos vocitat Rabrebin, hoc est, principes. Daniele autem uxoratum fuisse, supra ex Ezech. XIV. ostendimus. Ceterum tres annos Daniele atque socios ejus rex Nebucadnezar regio modo educandos, disciplinisque politicis non tantum, sed & philosophicis aliis, quin & litteris humanioribus, imbuendos curavit: intra quod*

tem-

tempus ad tantum politioris e-  
 ruditionis fastigium pervenerūt,  
 ut regem ipsum, illos omnibus  
 non condiscipulis modo, verum  
 & aliis regni sui incolis, immo  
 sapientibus ipsis decuplo præfe-  
 rendos esse, fateri veritas coë-  
 gerit (o). Unde & postea Dani-  
 el philosophorum & sapientum  
 Babyloniorum antistes regia au-  
 ctoritate constitutus est. Quod  
 autem ad studia humaniora at-  
 tinet, non modo regium pro-  
 stat edictum, ut adolescentes is-  
 raeli docerentur ספר ושיח כשרים  
*litteras & linguam Chaldæorum* (p);  
 sed & de felici institutionis suc-  
 cessu textus sacer rotunde testa-  
 tur, a Deo illis datam esse cog-  
 nitionem & intelligentiam כל ספר  
*in omni litteratura* (q). Scilicet  
 Nebucadnezar, rex alioqui bel-  
 lico- (o) Dan. I. 20. (p) Dan. I. 4. (q) v.

licosus, favorem suum in literarum studia ideo maxime declaravit, quod & ipse iisdem haud leviter esset tinctus, quippe qui sua ipsius opera specimen eruditionis capere, & iudicium de ea ferre potuit (r): ideoque & pro more gentis literis deditæ, futuros aliquando ministros suos in iis apprime versatos voluit, elegantioribus præsertim, quibus viri illustres potissimum delectari solent. Lingva vero Chaldæorum Danieli addiscenda, ut vel ex ipso Danielis codice patet, non tanta Hebræam affinitate contingit, ut ab Hebræo statim intelligi, nedum ad usum vitæ quotidianum, qualis aulicis istis erat necessarius, sine prævia exercitatione referri posset. Aut si sententia Læscheri (r) stemus,

con-

(r) b. 20. (r) de causis Ling. Hebr. lib. 1. c. 14. §. 5. &c.



## §, IV.

**S**cientias Philosophicas, quibus Noster penes Babylonios fuerit instructus, exacte definire est perarduum, quum constet, omnem ejus notitiam magis Dei inspirationi singulari, quam instillationi Babyloniorum adscribendam esse. Si tamen scripta & sacra & profana consulerimus, inueniemus profecto maximam Chaldaeorum disciplinam in arte magica, & concinna sidera intuendi notitia, ex quibus omina sua plurima petebant, constituisse. Apud Danielem (1) quatuor philosophorum Chaldaicorum classes recensentur, nimirum אַרְשֵׁמַיִם, חַרְשֵׁמַיִם, מַכְשָׁפַיִם, & כְּשָׁדַיִם. Stanlejus (u) fusius in hæc nomina inquit, statuendo אַרְשֵׁמַיִם A-  
bar-

(1) Cap. II. 2. (u) *Histor. Philos. Orient.* Cap. X.

*barbaneli magos rerum naturalium*  
*peritos fuisse, nomenque a Per-*  
*sica voce* מַגִּים *cognoscere, deriva-*  
*ri, eamque cognitionem five*  
*contemplationem, Theologiam*  
*& Physicam, seu cognitionem*  
*Dei, rerumque naturalium com-*  
*plecti.* מַגִּימֵי dicit idem esse,  
 ac vocem Arabicam *Souphoun,*  
 quæ sapientem & pium signifi-  
 cat, & inde quoque forte Græ-  
 cam vocem σοφός derivari. A-  
 schaphim itaque Chaldæorum,  
 videri esse magos Persarum, sa-  
 cerdotes, eorumque rituum,  
 quos magicos adpellabant, ma-  
 gistros. Existimat porro מַגִּימֵי  
 proprie dici *Revelatores,* nempe  
 absconditarum rerum: radicem  
 a מַגִּימֵי esse petendam, quod a-  
 pud Arabas *revelare* significat.  
*Mosen Nachmanidem, Abarbane-*  
*lem, aliosque, hosce diabolicis*  
*artibus usos, putare. Afferit*

demum 𐤎𐤓𐤕 nomen fuisse peculiariter eruditis Chaldæorum attributum, & arctiori sensu de iis, qui Astrologiam profiterentur, prædicari: atque Strabonem hos *χάλδαιος ἀστρονομικός* vocare. Tradit de Chaldeis Q. Curtius (w), fuisse Babyloniorum vates, & siderum motus & statas temporum vices ostendere solitos. Ceterum ut nefanda illa magicorum ludibriorum & vaticiniorum superstitio, Zoroastre, ut putatur, auctore, universum infecit orientem, ita & Babyloniorum philosophiæ labem adpersit. Unde & Diodorus Siculus (x), sapientes eorum divinationis maxime studiosos, res futuras prædixisse testatur. Hinc quæri potest, num Daniel, adolescens tam sancti propositi, & tenerioris, ut apparet, conscientia

(w) Lib. V. 1. 22. (x) lib. 2. Bibl.



scientiæ, disciplinis adeo impi-  
 is animum suum polluere susti-  
 nuerit, quum dicatur supra ha-  
 riolos & magos sapuisse (y)? Sed  
 tenendum, Danielelem, neutiquã  
 magicis operam dedisse artibus,  
 neque varias consecratum esse  
 divinationes. Et peculiariter ob-  
 servamus, Danielelem & sodales  
 ejus cum duabus tantum prio-  
 ribus sapientum sectis dicam, an  
 ordinibus comparari, iisque præ-  
 ferri; adeoque nomina illa חכמים  
 & חכמי non crimen innue-  
 re, sed sapientiam, & rectius  
 verti *sapientes & philosophos*. Un-  
 de haud scio, annon aptius  
 cum Jachiade prius illud genus  
 statuamus fuisse magos seu sa-  
 pientes, qui theoreticam in u-  
 niversum sapientiam colerent;  
 posterius autem, qui practicam  
 tractarent philosophiam, politi-  
 cam

(y) DAN. I. 20.

cam præsertim; neque fuisse sacerdotes rituum superstitiosorum magistros, ut vult Stanlejus. Duo autem posteriores ordines, כַּשְׁדִּיִּים & כַּשְׁרוּיִם, præstigiatores & astrologi, vanis magis artibus videntur operati. Quorum commenta arbitramur Daniele[m] sive non didicisse, sive, ut Hieronymus (z) censet, didicisse, non ut sequeretur, sed ut judicaret & convinceret: & si quid sani, in Caldæorum præsertim astronomia reperiretur, in usum convertisse. Pronuntiamus itaque, disciplinas, quibus in Chaldæa imbutus est Daniel, constituisse generatim in omnis generis eruditione, tum quæ literis humanioribus, tum quæ Chaldaicæ cultura philosophiæ, tam theoreticæ, quam practicæ pro more illius temporis efficeretur.

(z) *Comment. in Dan.*

retur. Aperte enim textus as-  
 severat, contigisse illi peritiam  
 חכמת כל הדברים in omni sapientia (a),  
 & in omnibus rebus, quæ ad  
 חכמת כל הדברים *sapientiam intelligentie*  
 (b) pertinerent: in quibus omni-  
 bus ille cum sodalibus, non na-  
 tiva modo erectioris indolis fe-  
 licitate, sed singulari cum primis  
 beneficio divino, eximie & su-  
 pra reliquorum eruditorum for-  
 tem sapuit. Speciatisim vero Da-  
 nieli nostro contigit excellens  
 visionum & somniorum inter-  
 pretandorum sollertia, de qua  
 inferius nonnulla veniunt obser-  
 vanda.

§. V.

**H**Æc fuere illa, quæ de rati-  
 one informandi prophetæ  
 nostri in scientiis aulico penes  
 Babylonios regio necessariis ob-  
 serva-

(a) Cap. I. v. 17. (b) v. 20.

servavimus. Præter vero quam quod his illum cum sociis fecit imbui rex Babylonæ, peculiari quoque atque regia victus ratione eos curavit educandos. Legimus in libro Danielis (c), quod rex illis quotidie e cibo, quo ipse vesceretur, & e vino sibi destinato, dari jussit: eum præcipue in finem, ut tres annos ita educati, aulico demum more regi inservirent. Invenientur forte haud pauci, qui hunc morem in aulis orientalium usu fuisse frequentissimum tradant. Danielis vero ejusque sociorum, a cibo, quem obtulerunt ipsis Babylonii, tanta fuit abstinencia, ut & minima quævis inde labiis suis applicare nefas ducerent. Videntur hi, captivitatis suæ parum memores, haud exiguum hac quidem occasione in Baby-

lonis

(c) *Cap. I. §.*

lonios significasse contemptum, quum gratiam hanc, opinione Babyloniorum singularem, sibi oblatam repudiare haud essent verecundati. Verum enimvero haud secus fieri a se posse existimarunt, quum mandati Dei sui majorem habendam esse rationem, quam gratiæ horum a societate veræ religionis alienorum, animis secum reputarent. Erant quippe apprime sibi consci, fercula paganorum maximam partem fuisse *εὐλαστία*, eoque sibi immunda, quæ penes eos sub nomine *præceptorum ciborum & delibatorum altaribus potuum* (d) venisse, jam dudum latiss superque nossent. Optime itaque gnari, etiam ab his Ethnicis *cibos potusque diis prælibatos*, deinde ut manducarentur, ad-

(d) *vid. Minucii Felicis Octavius C. XII, v. 5.*

adponi consueviffe, ab his iuste  
 abhorruerunt (e). Quam man-  
 ducationem, ne infirmis paria-  
 tur scandalum, in novo quoque  
 Testamento legimus prohibi-  
 tam (f). Ne multa de interdi-  
 cto, quod jam dudum in vete-  
 ri fœdere Deus Israëlitis dederat  
 (g), dicamus: ibi enim passim  
 hos paganorum ritus, & præ-  
 fertim esus ciborum sacrificato-  
 rum esse fugiendos, expresse le-  
 gimus. Erant deinde fortassis  
 quam plurima in regio appara-  
 tu legē Divina Judæis vetita (h),  
 quibus se polluere non deberent.  
 Cujus prohibitionis Daniel me-  
 mor, *in corde suo sibi proposuit,*  
*nolle se contaminari cibo & vino de*  
 men-

(e) vid. Tertullian. de spectacul. Cap.  
 XIII. Non sacrificamus, nec  
 de sacrificio edimus. (f) 1. Cor.  
 VIII. (g) Exod. XXXIV. 15. (h) Le-  
 vit. XI.

*mensa regis.* Quum igitur a talibus pollutis cibis abstineret Daniel, aliam vivendi methodum a Meltfare, quem iis præfecerat Aspenafus, impetravit. Illa autem ex voto consistebat in portione aquæ & esu leguminum, ut וְרֵעַ (i) & וְרֵעַנִּי (k) communiter reddi solet. Quod tamen, quemadmodum & Sveci interpretis moos / & vernaculi puuto / non putamus esse adæquatum. Licet enim hoc nomen iisdem formis, atque his locis apud Danielelem, nusquam legatur: tamen tum ex radicis notione, tum ejusdem nominis usu sub alia forma וְרֵעַ, concludere fas est, significatum ejus latius patere. Hac autem forma vestitum non solum de sativo in genere, quodcunq; ex semine progerminat (l), sed etiam de fru-

D Eti-

(i) Cap. I. v. 12. (k), v. 16. (l) Levit. XI. 37.

etibus, quicunque in hortis succrescant (m), usurpatur. Unde inferimus, heic intelligi sativa cujuscunque generis, quæ humi ex semine enascuntur (n): tum fruges, triticum, hordeum &c. tum legumina, fabam, pisum, cicer &c. tum herbas & olera, brassicam, lactucam, asparagum &c. tum radices, rapam, raphanum, cepam &c. immo fructus arborum, poma, pira, pruna &c. His enim omnibus tutius, quam carnibus, vesci arbitrabantur. Utrum vero hæc terræ germina cruda, an ab alijs in cibum præparata acceptaverint, Daniele non definiente, in medio relinquimus. Sic hi viliores vivendi rationem affectantes, casti & abstinentes, pulcri tamen demum atque venusti

(m) *Esa. LXI. 11.* (n) *conf. Gejer. & Gezel. in Dan. C. I. 12.*



sti præ ceteris aulicis facti, Deo  
ut & regi non minimum in mo-  
dum placuere.

*Sectio II.*

- §. VI. *Prophetam fuisse contra Judæos vindicat.*  
 §. VII. *Vaticiniorum genera tradit.*  
 §. VIII. *De Visionibus narrat.*  
 §. IX. *de οὐρανοῦ καὶ γῆς differit.*

§. VI.

CONSTITUIMUS jam breviter  
prophetam nostrum a per-  
versa & iniqua Judæorum, eun-  
dem e numero prophetarum e-  
liminantium, censura vindicare.  
Quum vero tot jam dudum ex-  
sistant eos hac in re arguen-  
tes, quot unquam existere pu-  
ri de scripturæ sacræ auctoritate  
scriptores: sufficiat propterea  
paucis verum rei designare con-  
D 2 ceptum.

ceptum. Sicut Judæi odio plusquam Vatiniano, nos, qui veram Christianam sectamur religionem, prosequuntur: ita tanto facilius offensionem eorum & animum a prophetæ nostri scriptis aversum conicere possumus, quanto sumus certiores, verissimæ nostræ fidei centrum quasi, scilicet adventum Messiaë, hic præcipue luculentissime esse confirmatum. Quam ob causam hi Judæi spem suam, de Messiaë sui quotidie expectato adventu, per prophetiam hanc videntes iri labefactatum, lubenter quidem, si modo essent ausi, hunc librum e sacro Bibliorum canone plane ejecissent: verum ut vehementem animi infesti impetum celarent, auctoritatem ejus sua opinione minuisse contenti, illi nullum inter prophetas tribuere voluerunt locum,

cum, Hagiographis vero tantum annumerarunt. Rationes infultas, quas ad hypotheseos suæ robur adferunt Judæi, ( quas succincte admodum proferunt, atque concinne refellunt Pfeifferus (o), Leusdenius (p), alique ) omnes recensere, tanti non est momenti, ut in illis nos patiamur morari: attamen præcipua atque palmaria eorum argumenta paucis refellere lubet. Contendunt non posse personam aulicam, seu politicum quemvis, simul prophetæ subire munus (q). Verum respondet Leusdenius (r), quod hæc illorum ratio potius risu sit exhibenda, quam rationibus refutan-

(o) *Critica sacra.* (p) *Philolog. Hebr.*  
 (q) *vid. G. conf. dissertat. Upsal. hab. de conjunctione principatus & sacerdotii in una persona.* (r) *Philolog. Hebr. Diss. VIII. §. 29.*

*futanda. Quid enim prohibet. aliquem amicitia regum florere, & simul vatem agere? Ipse rex David non tantum in aula vixit, sed etiam summum imperium tenuit, & nihilominus futura Divino afflatu cecinit. Maimon Rabbiorum Phoenix Danielem propheta nomine condecoravit. Qui autem ipse Maimon, secundum Pfeifferum (s), Danielem non prophetae proprie sic dicti nomine posse venire; sed secundi tantum ( ut vocat ) ordinis intuitu posse dici prophetam, contendit, ideo quod ipsi non vigilantibus & bene composito, sed per obscura somnia obtigerint revelationes. Cui objectioni eleganter responderet idem Pfeifferus (t), quod nimirum prophetam non faciat haec vel illa revelationis species & ratio, sed ipsa Divina*

(s) *Crit. S. Cap. I. Sect. II. Q. III. (t) loc. cit.*

*vina futurorum revelatio, quae di-*  
*versos admittit modos, quos inter*  
*Et somnium seu nocturna visio est.*  
*Num. XII. v. 6.* Sed quorsum haec  
 Judæorum deliria? quidve opus  
 multis in illis confutandis occu-  
 pari? quum praeter clarissimum  
 Christi effatum apud Matthæum  
 (u), ubi dilerte propheta appella-  
 tur, etiam quaelibet pagina, o-  
 mnia capita, cuncti vernaculi in  
 libro Danielis nihil magis quam  
 prophetias contineant: nequa-  
 quam solum per obscura somnia,  
 prout somniare voluit vigilans  
 Maimon Apella, sed & per vi-  
 siones clarissimas luculentissi-  
 masque in ipsa diei luce factas  
 (w). Sanior multo Josephus (x),  
 qui Danielem ἐν τῶν προφητῶν πρῶτον  
 ᾧ, max morum prophetarum u-  
 num, appellat.

## §. VII.

(u) *Matth. XXIV. 15.* (w) *conf. Dan.*  
*IX. 21. Et cap. X. 5. Et c.* (x) *An-*  
*tiq. lib. X. c. vet.*

## §. VII.

Obtigit illa Christianis in Novo Testamento felicitas, ut ipsum Salvatorem in sæcula benedictum, interpretem voluntatis Dei haberent (y): quæ prærogativa frui patribus in veteri fœdere non fuit concessum, quibus Deus cuncta per prophetas patefecit, quorum vaticinia diversi generis fuere: ut Spiritus Dei ipse per divum gentium doctorem Apostolum Paulum (z), loquitur, quod πολυμεσῶς καὶ πολυτρόπως illis locutus sit. Sunt, qui modos, quibus Deus suam olim patefecit prophetis voluntatem, quinque faciant, nempe בטראה, בחלום, בהירור, בתמונה, & פה אל פה. Haud diffitemur hanc divisionem optime se habere: sed existimaverimus porro, posse tamen modos quinque

(y) *Eph. I. 9.* (z) *Ebr. I. 1.*

que supra nominatos, commode ad duplex genus referri, scilicet *verborum & signorum*. Philologi asserunt, verba, quibus Deus in V. Testamento ad significandam voluntatem suam usus est, fuisse vel propria, vel figurata sive symbolica. Signa vero data fuisse vel nominum impositione, peculiare quid ominantium, utpote filii Esaiæ (a) qui appellabatur דַּוִּד נָשׁוּב *reliquia revertentur*, & Hoseæ (b) נִמְנָה נִלְאָה atque יְשׁוּבָה נִ &c. vel visionibus, quæ factæ vel dormientibus, vel vigilantibus. Illæ quæ dormientibus obtigere, somnia communiter vocari solent: suntque vel nuda ὄραματὰ, ut Josephi (c), & Magorum (d) &c. vel ὄραμα συμβολικὰ, ut Jacobi de

Isa-

(a) Cap. VII. 3. (b) Cap. I. v. 9. (c) Matth. I. 20. Cap. II. 13. (d) Mat. II. 12.

scala (e), Josephi Patriarchæ (f), Danielis (g), Pharaonis (h) & Nebucadnezaris (i). Quæ vero vigilantibus apparuere, vel statim interpretationem habuerunt adjunctam, ut de ariete bicorni, & hirco unicorni (k), & de equis eorumque fessoribus (l) &c. vel interpretatione caruere, ut templum Ezechielis (m) &c. At gentes olim atque pagani, quot illi constituerint vaticiniorum & divinationum genera, prolixius esset commemorare, quam hæc caperet pagina. A Chaldæis quidem Assyriorum, omnium divinationum originem ducunt, quos *trajectiones motusque stellarum observasse, illisque notatis, quid cuique significaretur, memo-*

- (e) Gen. XXVIII. 12. (f) Gen. XXXVII. 5. (g) Cap. VII. (h) Gen. XLI. (i) Dan. II. (k) Dan. VIII. 1. (l) Zach. I, 8. (m) Cap. XL.



*mori e prodidisse, tradit: Cicero (n). Immo diuturna observatione siderum, scientiam effecisse dicit putatos, ut predici posset, quid cuique eventurum, & quo quisque fato natus esset. Et Strabo (o) patiter fuisse ait ex iis, qui e natalibus hominum eventura iis vaticinari se profiterentur. A siderum notitia ad omnium portentorum inusitatarumque rerum interpretationem progressi sunt. Auspiciis vero quam maxime priecos, Romanos imprimis, in rerum futurarum praesensionem usos fuisse constat. Quid? & ipsa urbs Roma ab optimo ( ut judicat Cicero ) augure Romulo auspicato condita fuit. Duobus modis, ait idem Tullius (p), furore scilicet & somniis, scientiam futurorum veteres sibi  
 -olovis les -orugus liv acqui-*

(n) *de divinat. lib. I.* (o) *Geogr. lib. I.*

(p) *loco citato.*

acquisivisse: & furoris quidem  
 divinationem Sibyllinis maxime  
 versibus contineri, arbitratos.  
 Ipse vero Cicero iis assentit, qui  
 duo genera divinationis esse dixe-  
 runt: unum quod particeps esset ar-  
 tis; alterum quod arte careret. Est  
 enim ars in iis, qui novas res con-  
 jectura persequuntur, veteres obser-  
 vatione didicerunt. Carent autem  
 arte ii, qui non ratione aut conje-  
 ctura observatis ac notatis signis,  
 sed concitatione quadam animi, aut  
 soluto liberoque motu futura presen-  
 tiunt. Quod & somniantibus saepe  
 contingit, & nonnunquam vatici-  
 nantibus per furorem. - - Cujus  
 generis oracula etiam habenda sunt.  
 Arte vaticinatos fuisse veteres,  
 dum vel in extis pecudum ali-  
 qua observassent, vel monstra  
 nata, vel fulgura interpretati fu-  
 issent, vel augurio, vel astrolo-  
 giæ scientia, vel sorte usi fuis-  
 sent:

sent: naturam vero fuisse secutos, dum somniorum aut vaticiniorum prædictione essent moti, idem opinatus est Cicero (q). Interpretibus vero Persæ usi sunt magis, qui futura prædixere, somnia cum primis oraculorumque responsa interpretati sunt: nam penes hos erat *μαρτυροσφαι*, ut Ælianus (r) loquitur, id est divinationis studium. Hinc rex Darius non tantum somnii interpretes adhibuit vates: sed & *mutata vagina acinacis Persica in eam formam, qua Greci uterentur, vates protinus ominatos esse, imperium ad eos transiturum, quorum arma Darius esset imitatus, testatur Q. Curtius (s). Quanta vero religione oracula coluerint veteres, per plurimi commemorant antiqui annales. De*

ori-

(q) loco itid. citato. (r) Var. hist. II.

17. (s) Lib. III. 3. 6.

origine oraculorum perhibet Herodotus Halicarnasseus (t), quod Hesiodus atque Homerus fuerint qui apud Græcos theogoniam introduxissent, Diisque ac oraculis & cognomina, & honores, & diversa artificia & figuras attribuisent. Tanta vero superstitione veteres in oraculis consulendis fuisse utos legimus, ut & felicissimus ille Cræsus, in omnibus quæcunq; susciperet, oraculum in primis, quod Delphis sacrum fuit, per certos illuc, cum donis præclaris, missos, quid sibi foret agendum consuleret; atque omnia licet sibi falso interpretatus esset Cræsus, ad responsa tamen Pythiæ evenisse, narret idem Herodotus (u). Qui uberio rem de quibuscunq; divinandi atque vaticinandi generibus desiderat notitiam, consulat cum primis

Cice.

(t) lib. II. Euterpe. (u) lib. I. Clio.

Ciceronem, in libris ejus elegantissimis, quos de divinatione edidit.

§. VIII,

VERUM prophetam nostrum Danielem tam multis atq; diversis vaticiniorum generibus usum non fuisse, utpote sunt oracula gentium, furor vaticinantium, superstitiones haruspicum, aucupum, aliorumque vanissimorum hominum ludibria, supra jam innuimus. Rerum vero futurarum notitiam ipsi visionibus & somniis fuisse concessam, & littera textus perhibet, & ipsa comprobata experientia. Quod ad sublimes illas visiones attinet, iis ad stuporem usque illustris fuit Daniel, ut ob claritatem earum merito illum reliquis prophetis præfe-

rat

rat Josephus (w). Hujusmodi erat ista de ariete & capro (x). Similiter quum ipsi in ripa fluvii Chiddekel appareret vir ille linteis indutus vestibus (y), qui prophetæ quidem soli, non vero sociis ejus visus est, utpote quibus Deus visiones tales mysticas nollet patefacere. Sic quum regi Belschazari convivisque ejus manus illa in pariete scribens visa esset, ejus etiam significatio Danieli nostro, non aliis, patuit. Visiones factæ passim occurrunt in sacris pandectis, non solum quæ huic prophetæ, sed etiam aliis quamplurimis obtigere. Cujusmodi abstrusas rerum arcanarum revelationes, earumque modum, quoniã a nativa fortis nostræ facultate non pendent, sed divini prorsus arbitrii fuerunt, adeoque pro

(w) *loc. cit.* (x) *Cap. VIII.* (y) *Cap. X.*

ratione œconomix ejus etiam ista πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως dispensari potuere, humanæ non est opis exacte ubique determinare. Nam præter eas, quæ dormientibus eveniunt, de quibus aliquid infra, etiam illas quæ vigilantibus accidunt, non uno exhiberi modo certum est. Cernuntur enim vel citra ἐκστασι, in statu naturali, ut manus illa in pariete (z); vel in ἐκστασει, aut sensuum privatione, quales plurimæ erant Ezechielis & Johannis in Apocalypsi, quorum hic sese ἐκπνεύματι fuisse (a), ille πνεύματι ἁγίῳ ductum (b), docet. Paulus visionem suam, utrius fuerit generis, definire nequit (c). Verum enimvero cavendum diligenter mortalibus, ne in visionibus sive expectan-

(z) Cap. V. (a) Apoc. I. 10. (b) Ezech. XXXVII, 1. &c. (c) 2. Cor. XII. 2, 3,

dis, five incaute admittendis, ab illo Dei simio, qui se in angelum lucis transformare novit, deludantur. Illum enim sæpe-  
namero hominibus, vel forma quadam speciosa, vel sub larva defuncti cujusdam hominis cogniti, vel bruti cujuscunque generis animalis, apparuisse constat. Sic intelligimus quod in sacris quoque monumentis de Samuele, quem femina fatidica redidivum simulare fategit, legitur (d). Sed duplex de visionibus geniorum observatum est extremum. Fuit Balthasar Beckerus, concionator Amstelodamensis, qui omnem plane apparitionem & Dei & genii mali, & aliorum quorumcunque miraculorum, penitus tollere atque denegare infausto conamine auderet: rationibus atque

(d) 1. Sam. XXVIII.



argumentis quamplurimis suam  
 conatus adstruere sententiam (e).  
 Quam tamen, præter alios in-  
 numeros, *auctores Innocuarum Re-*  
*cessionum* solide destruxerunt (f).  
 E contrario perhibent iidem  
 Collectores de Philirino quodam,  
 qui Theologiam consignavit, u-  
 bi inter alia rationibus physicis  
 visiones spirituum, seu ut ille  
 vult, conversationem hominum  
 cum spiritibus mundis, demon-  
 strare constituit (g). Verum ab-  
 iit jam dudum in vulgus tanta

E 2

super-

(e) in der bezauberten Welt / o-  
*pere integro.* (f) vid. die unschul-  
 dige nachrichten Tom. II. p. 205.  
 (g) Tom. I. p. 231. der Mensch sey  
 geschaffen / daß er auch mit den  
 reinen unsichtbaren *creatures* um-  
 gehen solle / dergleichen die Engel/  
 und die *Olympischen Geister* / die  
 noch nicht zu solcher würde gelan-  
 get sind / wären &c.

superstitio, tantusque abusus circa visiones, ut & multi, quod dolendum, sub specie pietatis, sæpe sibi visiones, apparitiones & manifestationes cœlitus obtigisse, adjuncta interpretatione, religiose contendant. Sic & monachi in papatu sæpe sibi Christum, Spiritum S. Mariam, Angelos, S. Laurentium, Petrum, Johannem, aliosque apparuisse, mentiuntur, ut tradunt eorum deliria laudati Censores Celeberrimi (b).

### §. IX.

**P**Lurimum tamen propheta noster penes Babylonios illustrem se reddidit somniorum interpretationibus, quum non solum imaginem seu statuam diversa materia constantem, quæ regi Nebucadnezari in somno repræ-

(b) Tom. XVIII. pag. 37. seqq.

repræsentata esset, sed memoria excidisset, indicaret, ejusque cuncta membra juncta interpretatione explicaret: sed etiam somnium, quod habuisset rex idem de arbore ramos suos quoquo versus extendente, interpretaretur: insuper suis ipsius visionibus per quietem oblatis admodum clarus (i). Qua percelebrata ejus fama, & somniorum conjectandorum peritia, factum videtur, ut impudentissimorum hominum audacia vanissimo cuidam nugarum cap. VII. p. 110 centoni sacrum Danielis nomen præfigeret, ac si ipso auctore esset consarcinatus (k). Ceterum nullum præter hunc

pro-  
 (i) *Cap. VII. (k) de quibus conf. Huet. demonstr. Ev. prop. IV. de Dan. §. X. & imprimis J. A. Fabric. cod. pseudepigr. V. T. p. 110. seqq.*

prophetam nostrum legimus hoc  
 dono fuisse instructum, unicum  
 si Iosephum excipias, qui ut in  
 aliis, ita in hac parte cum Da-  
 niele optime est comparandus.  
 Ille enim similiter, carcere de-  
 tentus, somnia amborum aulae  
 regiae ministrorum interpretan-  
 do, utrisque fata futura vere  
 vaticinatus est. Et postea qui  
 ipsi Pharaoni per quietem visi  
 essent pingves boves ceteros ma-  
 cilentos deglutire, eorum Jo-  
 seph e carcere dimissus, ut &  
 spicarum, concinnam admodum,  
 & veritati eventus congruentem  
 reddit explicationem. Hi qui-  
 dem ex Divina inspiratione,  
 hanc somnia interpretandi na-  
 tati sunt scientiam, adeo ut his  
 in rebus, vi suapte, nihil plane  
 efficere potuisse videantur. Quod  
 quidem de somniis divinitus pe-  
 culiariter immixtis extra dubium  
 est.

est. Non tamen negaverim, in somniis mere naturalibus eos insuper calluisse artem, naturali ingenii sagacitate ex certis signis eventum colligendi. Verum inventi sunt porro, qui inter gentes etiam barbaras, hujus artis quodammodo periti essent, non quidem inspiratione (ut supra nominati) Divina; sed vel conjectura quacunque, vel operante per ipsos genio malo, hanc notitiam vel opinionem nacti. Qua de re in textu quoque Danielis legitur, a rege Nebucadnezare, vates quoscunque atque magos, ad somnium, quod illi obtigisset, interpretandum, adhibitos esse: quod nempe jactata arte *ὀνειροκρίτων* vulgo essent celebres, antequam falsitate, opinionis comperta, Daniel, qui *sanctorum Deorum haberet spiritum*, accersitus, arcana exponeret.

Hos

Hos enim Chaldæos & magos Deus T. O. M. interpretationem talium rerum celare voluit, in notitiam earum genium malum non admittens, ne is gloriam sapientiæ Divinæ interverteret. A longa vero antiquissimorum temporum serie, vulgus hodieque suam interpretandi (ut opinatur) somnia notitiam per traditionem duxit: plurimum vero conjecturis, quæ affectionibus somniorum sibi oblatorum, similes quodammodo sint, his in rebus nititur. Sic de Cyro Persarum rege legimus (1), somnium illud, quod sibi obtigisset, dum in expeditione esset contra Massagetas, ipsum per singula momenta explicuisse, quod scilicet filius Hytaspis Darius (quem noctu inter quietem vidisset in humeris ha-

(1) Herod. Halic. Lib. I. Clio.

habentem alas, quarum altera  
 Asiam, altera Europam inum-  
 braret) ipsi succederet in regno.  
 De quo somnio auctor Hero-  
 dotus (m) dicit, *demonem ei por-*  
*tendisse, ipsum ibi mortem appetitu-*  
*rum, & ejus regnum ad Darium*  
*esse perventurum.* Quintus vero  
 Curtius, quum somnium Darii  
 quoddam commemoraret, qui-  
 bus illud principiis esset adscri-  
 bendum, Deone an soli naturæ,  
 in medio reliquit, *anxium, in-*  
*quiens, de instantibus curis, agi-*  
*tarunt etiam per somnium species im-*  
*minentium rerum, sive illas agritu-*  
*do, sive divinatio animi presagien-*  
*tis accersit (n).* In quem locum  
 Cl. Freinshemius commentatus,  
 Marcellinum quendam citat, quem  
 de vatibus letum id somnium regi  
 nuntiantibus, sic dixisse refert:  
 Id autem permutationem temporum  
 indi-

(m) loc. cit. (n) lib. III. 3. 2.

indicabat, licet interpretantes placencia responderent. Et quanquam vel conjecturis nudis, vel signis probabilibus, circa somniorum interpretationes usi olim pagani sunt: tamen & ipsi sunt confessi, somnia vel esse Divina, vel naturalia: Divina talia vocarunt, quæ vera sint & a Deo vel bonis mentibus suggerantur: falsa & mala a malis genis excitentur. De priori genere Homerus (o):

— — — — — καὶ γὰρ τὸ ὄραον ἐκ θεῶν ἐστίν.

H. Dodwellus (p) conatus est ostendere, οὐκ ἀποκρίθησαν Chaldaicam fallacem non semper fuisse, quod Deus sese accommodarit, in futurorum revelatione, eorum opinionibus. Sic somnia interdum striete juxta interpretationem ita evenisse, exem-

(o) de divinis 17. A. v. 63. (p) ap. Cle-  
vic. ind. Stanley. v. οὐκ ἀποκρίθησαν



exemplo Polycratis videmus, qui, quum filia in somno videretur sibi cernere patrem in aëre sublimem, qui a Jove quidem lavaretur, a sole vero inungeretur, & patri tali modo pergeret dissuadere iter ad Orontem, consilium filiae ut & ipsum somnium contemnens, illuc se contulit, ubi dira atque tætra expertus est fata, cruci suffixus (g).

### Seçtio III.

§. X. etatem adventus in Babel percontatur.

§. XI. in totam etatem inquirat, finemque dissertationi imponit.

#### §. X.

**Q**Uot autem fuerit annos natus Daniel propheta noster, quum Babyloniam captus adveniret, est, cujus certam & apodicticam notitiam habere non

pos-

(g) Herodot. Halic. Lib. III. Tbalia.

possimus, quum illam rem sacrae paginae alto praetereant silentio. Talem vero hujus rei facimus conjecturam. Juvenes isti, quos regia stirpe & magnatum familiis oriundos, captivos ad aulae regiae ministeria deduxit Nebucadnezar, in textu Hebraico נַרְיָאֵי vocantur. Quam vero aetatem נַרְיָאֵי denotet, de hoc loquuntur commentarii, collatis scripturae locis, quod נַרְיָאֵי aetatem & puerilem, & juvenilem, & aliquando virilem denotet (r). Superest igitur, ut morem Judaeis solitum scrutemur, qua nimirum aetate prolem masculinam iis disciplinis, quas hos captivos calluisse constat, imbuere consueverint: Buxtorffius (s) succinetam admodum hodiernorum penes Judaeos rituum

(r) *conf. Guffet. Comment. (s) Synagog. Judaic. Cap. III.*

tuum ( quos tamen & quondam  
 illis usu fuisse tradit ) facit nar-  
 rationem, quod nimirum pa-  
 rentibus jam ab illa tenera in-  
 fantum ætate, dum clare atque  
 distincte loqui possunt, liberos  
 sententias quasvis atque prover-  
 bia divina e sacris bibliis hausta  
 docere, curæ sit. Deinde quum  
 paullatim plures vixerint annos,  
 illos litterarum elementa disce-  
 re, & in scholam deduci, tra-  
 dit. Crescente rursus ætate, a-  
 it Judæos in id præcipue in-  
 cumbere, ut legem interpreta-  
 ri discant liberi. Pueros decen-  
 nes ad Mischnam sive *deusipwoneis*  
 accedere, narrat. Quum au-  
 tem annum circiter, decimum  
 quintum agant, majora illos ca-  
 pere incrementa, *Gemaranque,*  
*hoc est, textus Talmudici, rerum*  
*que dubiarum, que in textu occur-*  
*runt, & acutas decisiones & dispu-*  
*tatio-*

*tationes illos aggredi, dicit. Anno demum decimo octavo mor-*  
*rem iis esse, ut libere uxorem*  
*ducant: annoque tandem vice-*  
*simo liberum iis esse negotiari,*  
*commercium exercere &c. fallere,*  
*decipere &c. tradit. Ex his nos*  
 de ætate prophetæ nostri quum  
 Babylonem accesserit, pauca  
 conijcere oportet. Constat evi-  
 denter illum talibus scientiis fu-  
 isse imbutum, quæ non ampli-  
 us puerilem scholam saperent:  
 aptum scilicet fuisse atque ido-  
 neum ad inserviendum aulæ re-  
 giæ, igenuum, sapientem, eru-  
 ditum & industrium: adeoque  
 cui hæc conveniunt prædicata,  
 ei sane illam tribuere merito  
 possumus ætatem, qua Judæos  
 Gemaram interpretari dicit Bux-  
 torffius: quamvis Danielis ævo  
 Talmudica comēta adolefcen-  
 tibus instillata non dixerim. Da-

nielem itaqve hac ( ut opina-  
 mur ) ætate Babylonem capti-  
 vum deductum fuisse constat ,  
 idqve *anno tertio Jojachimi regis*  
*Judæ* contigisse , dicit sacra pa-  
 gina ( *t* ). Verum inter varios  
 eruditorum conatus , & conci-  
 liandæ Chronologiæ hujus rati-  
 ones , tutissimum videtur dice-  
 re , tertium istum annum non  
 esse numerandum ab initio re-  
 gni Jojachimi. Quod vel exin-  
 de patet, quod apud Jeremiam  
 ( *u* ) dicatur annus quartus Joja-  
 chimi cum primo Nebucadne-  
 zaris coincidisse. Quare mirum  
 videretur , apud Daniele m dici,  
 Jojachimum anno imperii sui  
 tertio captum a Nebucadneza-  
 re rege Babylonæ, quo hic  
 nondum secundum Jeremiam ( *w* )  
 regnum inierat. Jojachimum  
 vero

( *t* ) *Dan. I. 1.* ( *u* ) *Cap. XXV. 1.* ( *w* )  
*loco cit.*

vero Hierosolymis annos undecim regnasse clarum est (\*). Unde certam hanc facere oportet conclusionem, anno octavo Nebucadnezaris victum esse Joachimum, hoc est, undecimo Joachimi anno, quum Nebucadnezar anno quarto Joachimi, imperii habens esset admodus. Per annum itaque tertium Joachimi, penes Danielem intelligi ultimum sive undecimum imperii ejus annum, eumque prope finitum: tertium vero eam ob causam vocari, quod tribus ante captivitatem annis Joachimus factus fuisset tributarius Nebucadnezaris, iisque pæne exeuntibus, rebellionem moliens, a Babylonis esset oppressus. Daniel itaque hæc Babylone scribens, annos Joachimi

(\*) 2. Reg. XXIII. 36. 2. Paralip. XXXVI.

chimi in actis Chaldaicis numerari solitos, adhibuisse videtur. Multi autem primum Nebucadnezaris annum partim tertio Jojachimi, partim quarto respondere, adeoque apte utriusque respectu prædicari posse opinantur. Unde & hunc Jojachimâ dediti casum anno regni ejus revera tertio, & imperio Nebucadnezaris ineunte, accidisse; eoque nihil nisi subjugationem illius in sortem tributariam, intelligi contendunt. Verum enimvero præterquam quod vix credibile videtur, Nebucadnezarem sic perfidiam Judæorum ultra integros quinque annos relicturum inultam, maxime huic sententiæ obstat, quod Jeremias anno quarto Jojachimi nullam Chaldæorum irruptionem factam novit, sed futuram vaticinatur (γ): immo, anno se-

F

qven-

quenti ob simile vaticinium a Jo-  
jachimo, Chaldæos nondum ex-  
perto, ad supplicium quæreba-  
tur (z).

§. XI.

**A**B hoc itaque ultimo Joja-  
chimici imperii anno ad pri-  
mum Cyri vixisse Daniel dicitur  
ad calcem capitis primi. Quod tamen  
de mansione tantum ejus in Babylone,  
& ministerio aulae Chaldaicæ intelligen-  
dum, quum eundem tertio ad-  
huc Cyri anno expresse lega-  
mus superstitem (a), & quidem  
propius aulam Persicam ad Chid-  
dekel evocatum. Contigit er-  
go Danieli senium canitie ve-  
nerandum, & numero anno-  
rum grave. Quot vero annos  
accu-

(z) *Jerem. XXXVI. 9. &c.* (a) *Dan.*  
*X. 1.*



accurate complexa sit ætas ejus, haud facile est determinatu, unde & diversis valde modis a chronologis supputantur. Hebræi apud Sancti Danieli tribuunt CL. annos: Pererius CXXXVIII. Isidorus CX. Fernandus ultra C. aliquot: Wigandus C. Zehnerus XCVIII. Abulens. LXXXI. Michaëlis LXXXV: (b) ut cui calculum addas, vix invenias. Diversitas ista oritur partim ab ætate Danielis Babylonem asportandi; partim a quarto isto Jojachimi anno designando; partim a diversis intervallum a Nebucadnezare ad Cyrum supputandi fundamentis modisque; partim denique ab anno Danielis emortuali, non expresso. De duabus prioribus difficultatibus nonnihil supra dictum. Jam

F 2

quod

(b) de his aliisque variorum opinionibus conf. Gej. proleg.

quod ad temporis illius, inter  
 octavum, aut si mavis, primam  
 Nebucadnezaris, & primum i-  
 tidem Cyri annum in imperio  
 Babylonico, interjectum spati-  
 um attinet, operosi satis in cal-  
 culo isto concinnando sunt chro-  
 nologi, verum in varia senten-  
 tiarum divortia abeunt. Suppu-  
 tatio a profanis petita auctorib<sup>9</sup>,  
 cui aliquid pretii est statuendum  
 in hac epocha, illa quidem est,  
 quam celebratus ille *Canon Ptole-*  
*mæi*, una cum fragmentis genu-  
 inis Berosi & Megasthenis, sup-  
 peditat. Verum enimvero quia  
 si vel maxime ad ductum Pto-  
 lemæi, a primo anno Naboco-  
 lassari, quem Nebucadnezarem  
 scripturæ putamus, calculum du-  
 camus, non tamen ad initia e-  
 pochæ Cyri Babylonicæ anni su-  
 pra LXVI. conficiuntur: ma-  
 nifesto chronologia illa defectu  
 labo-

laborat, quum LXX. captivita-  
tis Babylonicæ annos explere  
nequeat. Quamobrem Canon  
iste, quem alioquin cum phæno-  
menis quibusdam Astronomicis  
a Ptolemæo commissum magni  
facimus, tanti nobis non erit,  
ut in præjudicium scripturarum  
divinarum valere debeat. Apti-  
us vero ad calculum illum LXX.  
captivitatis annorum in sacris  
litteris expressum provocatur.  
Sed neque de epocha ista ordi-  
nanda inter chronologos con-  
venit: quum quidam a decimo  
tertio Josiæ anno; quidam a  
quarto Jojachimi, seu primo  
Nebucadnezaris; alii a deporta-  
tione Jechoniæ; reliqui a Zede-  
chiæ captivitate, & excidio Hierosolymitano, eam repetant:  
neque omnes in constituendo  
primo Cyri anno Babylónico  
inter se conspirent. Magno de  
hac

hac re molimine clarissimi viri, Scaliger, Petavius, Usserius, Baillius, Calvisius, Beltrius, Schotanus, Funccius, & alii plurimi egerunt (c). Ut vero & nos, pace tantorum nominum, nostram aperiamus mentem de ætate prophetæ nostri, certo numero definita, juxta ea quæ superiori paragrapho dicta sunt, supponere nobis necesse est, illum annos præter propter XVIII. ad minimum haud infra quindecim natum, Babylonem advenisse. Intervallum autem inde ad primordia Cyri Babylo-nica excurrentis, LXX. circiter annis definitum putamus. Tutissima enim nobis videtur eorum sententia, qui cum propheta Ezechiele (d) initium ca-

c) *Conf. Æg. Strauchii. Breviar. chronol. lib. IV. cap. 18. 20. 21. &c. (d) cap. I. & XL. 1. &c.*

ptivitatis Babylonicæ a deportatione Jechoniæ arcessunt, seu quod eodem fere recidit, a prophetæ nostri abductione, quam tribus ante mensibus eodem anno accidisse nos existimamus: adeo ut Danielis mansio Babylonica, ipsa LXX. captivitatis annorum periodo contineatur. Quod vero B. D. Gezelius, in aureo suo commentario (e), Danieli in aula Babelica ministranti LXXVII. tribuat annos, inde forte est, quod primo Nebucadnezaris anno eum deportatum opinatur: quare in fundamento calculi hujus a magno Viro modeste dissentiendi veniam rogamus. Hæc ergo nostra erit computatio annorum Danielis: Si illis LXX. annis Babylonicis addas sive XV. sive XVII. quos ætati pueri &

(e) *ad Dan, I 21.*

adolescenti domi transactæ de-  
 dimus, & insuper adjicias III.  
 fere annos, quibus eum adhuc  
 sub Cyro vivum fuisse certum  
 est: exurgit spatium ætatis, si-  
 ve LXXVIII. five XCI. circi-  
 ter annos complexum. Danie-  
 lem ultimæ visioni, quæ anno  
 Cyri tertio ei contigit, haud  
 diu fuisse superstitem conjicimus,  
 siquidem id svadere videtur clau-  
 sula codicis: *Tu autem vade ad  
 finem, ut requiescas, & stes ad  
 sortem tuam in fine dierum.* Tra-  
 ditiones autem de loco mortis  
 & sepulturæ, reliquiisque Dani-  
 elis, scientes præterimus, &  
 quæ sunt alia, futuris curis re-  
 servamus. Atque ita auspiciis  
 Divinis, breve, quod promisi-  
 mus, opusculum ad finem per-  
 duximus, illud, quæ fieri potuit,  
 perspicuitate pertractatum esse  
 rati. Si extiterint quædam,  
 quæ

quæ aliquanto remotius ab ex-  
 quisita rerum notitia videantur  
 discedere : habeat sibi B. L. per-  
 swasum, rogamus, nobis dili-  
 gentiam in iis enodandis neuti-  
 quam defuisse. Verum quum tales  
 nobis obvenerint res, quarum  
 omnia momenta in antiquitate  
 tam remota plene illustrandi  
 via, non ubivis nobis pateret :  
 ideo tanto magis nobis promit-  
 timus Benevoli Lectoris can-  
 didum de his ausibus iudicium,  
 quanto sumus certiores, de co-  
 natibus innocuis, præsertim æ-  
 tatis immaturæ, a quovis ho-  
 nesto sinistre nunquam iudicari.  
 Pollicemur porro, omnem nos,  
 gratia Numinis nixos, operam  
 in eo collocaturos, ut quæ  
 circa prophetam nostram, in  
 sequentibus, Deo volente, ve-  
 nerint observanda, ea maturi-  
 ori digerantur iudicio, stiloque  
 evidentiori adumbrentur.

S. D. G.

Juveni

*Solidioris litteraturæ & vitæ  
decentissima,*

Dno. DANIELI JUSLENIO,  
Celeberrimi Parentis magnæ spei  
Filio, cognato meo ex animo  
dilecto; Disputatione sibi viam  
ad altiora sternenti:

Ἐξ ἔδῃ ἔμαθον τὰ πρῶτα, ὃ μὴδεὺς  
ἔργου  
μευ φίλος, εἰς ἑμὸν ἤβρ' ἰκάνει ὡς ἐνοῆ-  
σαι.

Ἢ φίλε, νῦν τίνα σοῖς κάμαλόν γ' ἐπὶ ἀνα-  
χέτι θῆκας;

Τίς μελέτημα τόσον περίπλεκτόν γ' ἐς  
Φρένα ἤκει;

Οὐχὶ ὄρας βίον ὄντα οἷζυρόν γ' αἰνόν τε,  
αυγρῆν γ' ἡλικίην, τῆν νῦν πόρον ἄμμιν  
ὁ καιρός,

Πλήρη τῶν φοβερῶν, ἔδ' ἀργύρου ἄλο-  
βου ἐπ' αὐτῆ;

Ἢ φίλε, ἢ ἔρδεν μάλι εἰς αἶνον ὁ  
Φάλλος.

Τῶν.



Τῶν ῥα νέων, παρὰ εὐθράποις ἦ καὶ  
ἔρμηδ' ἔχει,  
Τοὶ δὲ θεὸς μὲν στυ κατ' ἐλάδωρ, ἔλβια  
δοίη,  
καὶ νυ τὰδ' ἐλπίζειν, ἢ Φοαζεῖν ἐσ' ἀρ-  
φίς, ἄμεινον.

πισισ τεογῆς εἶγο

**NICOLAUS L. TAMMELIN.**

Hfwet  
Sin Hederwårda Wåns och  
Landsmans

Herr DANIEL JUSLENIE

Digra sülles prof/

Då han om Propheten Daniel  
wittert Disputerade,

Så wålment, som kort uttradt  
af underskrefwen

**D**Ugligt Arbete Nog Inhåm-  
tar Erligit Loford/  
Ja/ Uppå Sidstone Liust En Nög-  
der Inför Uri Sällhet!

ALEXAND. HACKSSEN.

JUVENI

*Pereximio Doctissimoque,*

Dn. DANIELI JUSLENIO,  
Cum de Daniele Propheta per-  
eruditam ederet Dissertationem,  
sic gratulari voluit.

**V**itam dum DANIELIS & acta pi-  
issima pingis,  
Monstras Ti dotes mentis inesse  
bonas.

Nam volvis solers divini oracula  
verbi,  
Et pandis, DANIEL, abdita sensa  
σ. D. xv.

Gratulor idcirco Tibi, spondens optima  
queque,  
Atque Tibi digno premia digna  
fore.

ERICUS CAJANUS,

E. N. E. F.

*Ostro-Botniensis.*

Herr DANIEL JUSLEEN,  
 Då han den första delen af sitt  
 witra wärf om Propheten Da-  
 niel, i liuset framgaf.

**S**å jag så wore en Poët,  
 Som Daniel war en stor Pro-  
 phet,  
 Så skulle jag ej mödan spara,  
 Ut spela op med fulla tag  
 En ton, som skulle med behag  
 Mot Eder flit och möda swara.

Men som det är så fatt med mig,  
 Som det med Conterfey har sig,  
 Ut man der utanpå kan finna,  
 Af hwilken det sin skapnad bär,  
 Och at en Länder där af plår  
 Originalet sig påminna :

Så wil jag och så godt jag kan  
 Min mening yttra lite' grand,  
 Och wälment härma de Poëter,  
 Som kunna artigt föra ut  
 Sitt taal från början in til slut,  
 Och äro merendels Propheter.

Jag wil förty och litet spå:  
(Kom wåds, jag intet hittar på)  
Ut om J hällen fort med detta  
Och flera slika witra prof;  
Så skolen J ett lofligt rof  
Så snart af Lagerfrankar nåtta.

Cajana den 22. Sept.

JOH. BRAXER.



Printed and Sold by  
J. B. BAKER, at the  
Office of the  
New York  
Public Library,  
100 N. 4th St.,  
New York.

Copyright 1911 by J. B. Baker

JOHN BAKER

